DISSERTATIO

EX TEMPORE

DECEM TANTUM HORIS PRÆFINITO

HABITA

A PLACIDO DE LUCA

SUPER THESI

DE IMPENSARUM NATURA ET REGULIS ET AN LUXUS INDUSTRIÆ PROSIT VEL NOCEAT

propositâ

PRO ASSEQUENDA CATHEDRA ŒCONOMIÆ PUBLICÆ ET COMMERCII IN R. NEAPOLITANA STUDIORUM UNIVERSITATE

Quarto Kalendas decembris

Neapoli

EX TYPOGRAPHIA NICOLAI MOSCA

1844

THESIS N.° 12 SIGNATA

IMPENSARUM NATURAM ET REGULAS REFERTE ;
AN LUXUS PROSIT INDUSTRIÆ VEL NOCEAT.

THESIS

Impensarum naturam et regulas referre; an luxus prosit industriae vel noceat.

HUJUSCE DISSERTATIONIS GRAPHIS

*

DISSERTATIO

Non intelligunt homines quam magnum vectigal sit parsimonia!
Cic. de offic.

Prolegomena ad thesim

§ I.

Totam pene consumationis materiam hujusmodi thesis continet.

Inter actuales œconomiæ scriptores sunt qui antiquam hujus scientiæ partitionem trifariam, productionis scilicet, distributionis et consumationis, contemnere haud dubitent: tertiamque partem, consumationem, uti frustraneam censent. Quos inter Pellegrinus Rossi primas tenet (1). In productionis ideâ, ipse ait, consumationem certe contineri.

(1) Vid. ejus lectiones, inter primas porro.

At hanc ipsius scriptoris propositionem refellere nobis liceat. Sunt enim aliæ productionis regulæ, aliæ vero consumationis. Unde hæc thesis, de qua, Deo adjuvante, quædam exponemus, nimium laudanda; quo regulas impensarum, seu consumationis, exposcit.

Et re quidem vera totam pene privatæ consumationis rationem hæc thesis amplectitur: in consumationis enim tractatu, nihil aliud inquiritur, quam sumptuum natura, et regulæ, secundum quas fieri debeant, ut potiori societatis humanæ bono respondeant.

§ II.

Quomodo consumationis respectu, productio quoque huic thesi accedit et adnectitur.

Rossi tamen idea quoddam habet fundamentum; consumationis materia productioni inhæret, duplici respectu logico; 1.° quia ad producendum, ut infra melius, quædam impensæ sunt necessariæ: 2.° quia ut homo industrius labori vacet, quadam suarum virium conservatione eget, sobriâ quidem et non dissolutâ.

Nihilominus ad œconomicam scientiam penitus perlustrandam, thyronibus precipue, productio a consumationis tractatu, logicâ methodo, sejungi oportet — Hinc haud mirum si de impensis et sumptibus agendo, quædam de productione etiam libamus.

§ III.

Producere, œconomico sensu, et consumere, en tota hominis vita, vitæque ipsius humanæ cuncta ratio.

Ab ortu usque ad occasum dierum suorum necessitatibus homo angitur (1); quarum satisfactioni, a primis ætatis suæ annis, operam dat. Vox enim naturæ intus clamat, et ad res, quæ suis cupiditatibus satisfacere possint, magnopere parandas eum impellit.

Hinc homo productor fit; seu rerum, suis necessitatibus aptarum, fabricator (2).

Scopum vero hujusce productionis quid aliud est nisi rerum ab eodem homine, viribus naturæ adjuvantibus, editarum consumatio? quod alio nomine sumptus, impensasve agere dici potest, uti melius infra.

Hinc tota hominis vita in eo stat; ut producat et consumet. Omnesque ad hoc nati sumus: ne-

(1) *Necessitas* (italice dicimus BISOGNO) est animi passio, ob alicujus rei defectum, quam nostræ existentiæ necessariam putamus.

(2) Productio enim, sub hoc œconomico sensu, est materiæ præexistentis modificatio et quædam innovatio. Sub *creationis* verbo scriptores productionem adumbrant; sed figuratim porro. Creare enim seu materiam e nihilo educere, non humanæ quidem facultatis, sed Creatoris potentiæ certo est.

mini enim a naturæ manibus privilegium illud poetæ fuit :

Nos numerus sumus, et fruges consumere nati (1).

Hisce positis prænotionibus ad thesim pertractandam proprius aggrediamur , tribus quidem capitibus , uti nobis videtur.

CAPUT PRIMUM

IMPENSARUM NATURA.

§ I.

Productivæ et improductivæ impensæ.

Ad producendum , uti nuper diximus , quædam homini industrio facultates necesse sunt; fructus scilicet, maxima ex parte, antecedentis industriæ (2). Hæc quidem præsidia productioni novæ, aut ut pro-

(1) Horat. Flacci Carmina (ni fallor).

(2) Adamus Smith , qui totam industriam œconomicam productionemque ad humanum laborem perstringebat, unde systematis, quod *industriale*, seu *industrialismus* dicitur, author fuit, præcedentis laboris tantum fructus esse statuit — At non hic est locus hujusmodi doctrinam plene confutare, demonstrando scilicet, laborem primum esse productionis agens , sed non unum ; alia duo huic accedunt, et quidem necessaria, vires naturæ et *caput.*

prie loquar, reproductioni insunt ita, ut ab œconomistis una voce *caput*, appellentur (1).

Hinc omnia quæ ad productionis scopum impenduntur, productivæ dicuntur impensæ.

Improductivæ autem (quæ proprie impensæ dicuntur) sunt quæ satisfactioni necessitatum inserviunt. Unde consequitur:

§ II.

Sub nomine impensarum improductiva impendia intelligenda esse.

Quis hominum necessitates cupiditatesque enumerare poterit! — Præcipue tamen.

1.° pro victu: œconomia enim animalis, uti physiologistæ dicunt, substantias quas corpus edit consumat, viresque sic alit; unde *alimenta*, quæ victu proprie consumuntur, dicta; et *vita* a *victu* quidem, quia victus est vitæ primum elementum.

(1) *Caput* dicitur quod italice CAPITALE appellamus: quod definimus, omne id quo in industriâ peragendâ utimur. Hinc in *fixum* et *circulans* dividitur; primum scilicet in rebus tali forma consumitur, uti machinæ, instrumenta, ædificia ad productionem accomodata; secundum vero formam mutans crebro, haud ullâ consumitur in manu productoris, uti exempli gratia sunt mercedes, quæ manuariis dantur, materia quæ dicitur *prima* vel *rudis* (ital. *materia* GREZZA *o* BRUTA).

2.° pro vestitu: morum cultus hoc requirit, ut nuditas membrorum honestius tegatur: unde vestium mos atque usus in civilioribus humani consortii regionibus plusquam valet (1).

3.° pro habitatione: ædes, quibus politiores urbes ornantur, civium commodo, et utilitati, nec non libidini, sese præbent — Et heæ quidem interius ornantur; diversis pluribusque colentium necessitatibus, cupiditatibusque accommodantur.

4.° pro multiplici cupiditatum serie, sub physico et sub morali respectu, multa prætermittimus.

Hisce, aliisque similibus necessitatibus obveniendo, homines, inquam, consumunt ea quæ anterius, per productionem, paravere.

Et hæc, œconomice sumpta, vera est consumatio; hinc et impensæ, in sensu thesis, proprie eæ dicuntur, quæ non productionem alunt, sed hominum variis cupiditatibus sunt.

Inde consequitur illam scriptorum rei distinctionem, in consumationem productivam et improductivam, futilem esse atque vanam.

Impensarum ergo nomine intelligimus, non quæ ad *reproductionem* industriæ, sed quæ ad satisfactionem hominum, hominibus ipsis inservire videntur.

(1) Hic usus italice MODA appellatur. Est enim civiliorum urbanoriumque hominum ingenium, in, quæ hodierno usui parent, immutandis rebus.

§ III.

Quomodo eædem impensæ, sub remoto respectu, et latissimo sensu, productivæ haberi possint.

Et in primis palam est ea, quæ hominum industriorum, opificum scilicet incœptorumque (1), necessitatibus inserviunt, eorumque vitam ad substinendam, consumi bono ipsius industriæ, et productionis augmento. Quomodo enim manuarii, opifices, omnesque qui industriæ vacant, facultates et vires adhibere nimirum possent (2), si harum facultatum et virium conservationi non studerent?

Primo igitur aspectu intelligitur impensas, quas industrii omnes peragunt, suis necessitatibus obveniendo, ob eorum vitæ conservationem, nec non ob commodum et quamdam voluptatem, productivas posse considerari (3).

(1) Industriæ incœptores vulgo ital. INTRAPRENDITORI D' INDUSTRIA dicuntur — At melius latine *molitores* appellari putamus a *moliendo*. Et Ciceronis auctoritas nobis apta videtur, illis verbis, de *nat. deor.* lib. 1 quænam molitio, quæ vectes,....tanti operis fuere ?—Ergo et molitio pro ital. INTRAPRESA sumi posse videtur.

(2) Hæc enim laboris idea mox infra explicabitur in textu.

(3) Impensæ horum qui industriæ vacant, mercedem operis, aut emolumentum quod ipsis est, representant. Hinc et scriptores non desunt qui hæc operariorum emolumenta, in *capita* (CAPITALI) recensent.

Secundo autem loco, impensæ quæ moderandæ causâ pubblicæ tranquillitatis fiunt, ita ut industria exerceri possit, productivæ, quamquam indirecte, haberi debent — Ergo et magistratuum stipendia, quæ ob eorum vitam substinendam, eorumque commoda paranda, penitus impenduntur, productiva quoque habenda sunt.

Similiter omnium publicarum rerum gestorum impensæ, quæ ex eorum stipendiis veniunt, productivæ esse videntur; hoc tamen latissimo sensu, quo supra.

Ita ex prædictis conclusio sequitur; impensas proprie dictas, ad necessitates satisfaciendas hominum aptas, latissimo sensu etiam productivas posse dici, manifestum esse.

Omnes enim homines, directe vel indirecte, productioni inserviunt, et productores esse videntur: contra illam Smith sententiam, qua labores hominum in *productivos* et in *improductivos* distinxit; tamquam si *productio improductiva* dari possit: labor enim quid aliud est nisi facultatum hominis viriumque ad producendum concursus?

Hæc igitur celeberrimi Angliæ scriptoris doctrina circa *laborem* logico vitio laboratur; contradictionem enim implicat et continet.

Concludatur: impensas quaslibet, latissimo sensu et indirecte, productivas posse putari.

§ IV.

Impensarum ex præmissis definitio.

Quidquid ergo, quod prius productum fuerit, posteaque consumetur, modo quolibet, hominum usui, commodo et utilitati, impendii voce nuncupamur — Nam ad eas res quæ necessitatibus nostris inserviunt parandas, pecuniæ opus est; quæ impendi dicitur, earum permutatione, seu emptione.

Pecunia seu moneta est omnium permutationum agens primarium, et omnium mercium universale representans (1) — Pecunia ergo si impenditur, pretii causa, solvitur, ob omnium rerum permutationem, seu acquisitionem.

Utilia igitur, nostrarum necessitatum satisfactioni accommodata, nullo alio modo parari nobis possunt, nisi per permutationem; et in permutationibus necessario advenit pecunia, et uti mensura ac quoddam pignus interponitur. Quod amplius in monetæ naturam explicando demostrari potest: ad propositum veniamus.

(1) Moneta est metallorum pretiosorum cusio, formâ et signo ab auctoritate legitima injunctis, ad pretia in permutationibus fixanda quidem apta.

CAPUT SECUNDUM

IMPENSARUM REGULÆ TRADUNTUR.

§ I.

Prima regula : ne impensæ reditus uniuscujusque excedant.

Impensis, suæ commoditati aptis, quisque nihil aliud addicere poterit, nisi quod suum constituit reditum — Reditus vero latu sensu intelligi oportet.

Unicuique enim aut ex proprietate territoriali vel urbana, aut ex *capitibus* (CAPITALI), aut denique ex labore (1), emolumenta sunt ; hæc tria distributionis constituunt titula, et ita trifariam bona, annuique reditus per humani consortii membra dividuntur.

Hujusmodi emolumenta tripliciter variata, uniuscujusque annuum constituunt reditum.

Hæc tantum igitur emolumenta, hos tantum reditus unusquisque civis, ad sui commoditatem et usum impendere potest — Unde enim alioquin impensæ informari poterint ?

Certe possunt aliunde; ex facultatibus scilicet proprie dictis, seu capitibus. At hinc sequitur

(1) Labor hic latissimo sensu intelligi debet; ordinum idest intelligentium, seu hominum qui servitia præstant *personalia*, eorumque qui laborantes proprie habentur.

Primi animi facultates, secundi autem corporis vires industriæ præbent.

§ II.

Secunda regula : ne facultates ad reproductionem necessarias tangant seu minuant impensæ.

Si facultates ad reproductionem necessariæ minuantur, tam complexive, quam speciatim, reproductio haud fieri nequit. Etiam si non omnino hujusmodi facultates, quæ novæ productionis caput constituunt, consumuntur, quælibet tamen earum diminutio damno erit societati. Quin et pejori damno erit his qui hasce facultates ita incaute impendunt. Eorum perditio haud longe sequetur. Per continuatas et successivas capitum diminutiones, necesse est ut capita ipsa omnino evanescant; et eorum possessores, qui tam profuse et inconsiderate impendere videbantur, sero eorum perditionem animadvertentur. At hic illud poetæ:

..... sero medicina paratur
Cum mala per longas convaluere moras

Sero enim hisce profusionibus, sumptibusque necopinatis, remedium præberi vellet. Sed tunc inhonesta sequetur egestas.

Unde colligimus, impensas eas, quæ facultates reproductioni aptas minuunt, male se habere; et ab œconomicâ scientiâ reprobari.

§ III.

Tertia regula : ne morum conservationi noceant impensæ.

Et hæc quædam regula, quam tertio statuimus loco, ne ex œconomiæ cancellis exire videatur, illa memoriæ veritas erit revocanda; œconomicam scientiam videlicet morum scientiæ, quæ proprie *philosophia moralis* appellatur, necessario conjungi, et haud unquam dividi posse (1).

Cum ita sit ut morum corruptio industriæ quoque obsit; facultates enim humanæ et vires evanidæ fiunt, cum nimis expletæ, diffusæque in vitiis sint; necessario consequitur ut impensæ ad morum conservationem obesse non audeant.

Et re quidem vera, si impensarum scopum est facultates animi et corporis vires alere, easque meliores reddere; consequens est ut impensæ suum scopum consequantur, nec ei resistant aut adversentur. Quod esset, si morum conservationi obissent.

Ergo impensas, ne scopum œconomicum fallant, morum conservationi inesse omnino oportet.

Ergo et ad impensas moderandas moralis philosophia regulas quoque præbet; quas tamen, ut e nostris inquisitionibus extraneas, prætermittere hic par est.

(1) Super hoc recentiorum scriptorum lucubrationes legendæ sunt; qui omnes consentire videntur inter utrasque has scientias multum affinitatis esse.

Ad postremam impensarum regulam procedendum nobis est, ut ad calcem proprius appropinquamur.

§ IV.

Quarta regula : ut humani et civilis cultus progressionem (1) foveant impensæ.

Hæc porro ultima regula demonstratione haud eget; præmissarum propositionum enim consequens est. Namque:

1.° sub œconomico stricto sensu; si impensas reditui uniuscujusque accommodari opus est;

2.° si facultatum, seu capitum conservationi nocere haud debent;

3.° sub œconomico sensu lato; si moribus noxias haud esse oportet;

Consequens est, hisce normis informatas, ad humani et civilis cultus progressionem promovendam, impensas quam mirum agere.

§ V.

Hujus capitis conclusio.

Hisce positis, regulas huc usque traditas ad unum principium reducamus; quod his verbis amplecti-

(1) **Hisce verbis illud significamus quod italice dicimus, IL PROGRESSO DELL'UMANO INCIVILIMENTO.**

mur, et uti primum thesis propositæ postulatum damus. Nempe

Sumptus et impensæ, cujuslibet sint speciei ac usus, rationi humanæ, per philosophiam edoctæ, conformari debent.

Philosophia autem est scientia, seu ipsius humanæ rationis *evolutio*, si hac uti possumus voce (1).

In omnibus enim suæ rationis dictamina homo consulere debet (2): non enim alterius auctoritatis, ut Tullius ipse docebat (loc. cit. *de nat. deor.*), sed rationis momenta in inveniendâ veritate magis inquirenda sunt.

Impensæ igitur supradictis regulis modulatæ rationi quidem humanæ consentaneæ videntur.

Hoc quidem principium, totius scientiæ œconomicæ, quoad impensas respicit, seu consumationem proprie dictam, fundamentum esse videtur.

Ad reliquam thesis partem pertranseamus.

(1) Nostris temporibus scientia *intuitive et subjective* inspecta, est animi ingeniique cogitatio intima, seu rationis humanæ per gradus *evolutio*; his enim verbis quod italice, LO SVOLGIMENTO DEL PENSIERO UMANO, dicitur, intelligimus.

(2) In philosophia tantum hoc valet; quin ullum Revelatæ Sacrosantæ Religioni nostræ nocumentum adferatur.

CAPUT TERTIUM

AN LUXUS INDUSTRIÆ PROSIT VEL NOCEAT.

Luxus disquisitio erat olim apud œconomistas magni quidem momenti : nunc vero minimis terminis circumscribi potest. Hujusce secundæ partis datæ thesis responsum , quod a nobis paratur , ex præmissis quale sit intelligere jam quisque potest.

Temporis præsignati lapsu vexati , haud scriptorum antiquorum œconomiæ et moralis sententias oppositas latius proferre possumus. Præcipuas tamen § sequenti colligere sat erit.

§ I.

Contra luxum refertur argumentatio.

Si me haud fallit memoria , italorum œconomistarum contra luxum pene omnes sunt opiniones. Unde præcipua authorum argumenta , uno tantum aspectu , et proprie œconomico , præbemus.

Præclari et principes œconomiæ magistri nos docent mores corrumpere luxum ; et hocce in probando quam maxime immorantur.

Nec nos in inficias ibimus hanc morum corruptionem exageratas impensas , profusionesque sequi. Attamen hujusmodi luxus excessum prope tenet.

Quæstio hinc erit : quid de luxu intra rationis

fines comprehenso? — At ad hanc veniemus quam citius disquisitionem.

Ex morum corruptione industriam dissipari, evanui, inducitur. Facultates enim, aut *capita* (CAPITALI) disperduntur : opifices et industrii divagantur : et alia quæ facillime propositioni primæ adnectuntur.

Nec desunt historica exempla ad propositionem luxui adversam confirmandam (1).

Nec nos hæc latet consequentia — Sed redit argumentum; luxum nempe ita intelligi extra rationis fines.

At ne indoctorum more procedamus, luxus ideam statuendam esse censemus.

§ II.

Luxus idea œconomice desumpta.

Unusquisque hominum naturaliter ad exteriorem aliquam demonstrationem trahitur: hinc quadam facultate, seu qualitate, excellere super alios nititur.

Homines quidem strenui armis; ingenio præclari aut in administranda republica, aut in studiorum

(1) Præcipue Romæ delapsus adfertur. At romani imperii obitum causæ, quam maximæ et politicæ ejus constitutionis præcipuæ, paraverunt. Vid. Montesquieu, *de la chûte de l' Empire Romain*; Gibon quam doctam romani imperii historiam, et Robertson Caroli V. elaboratam historiam, in lib. 1, ni fallor.

copia, et humanarum artium, litterarum scientiarumque cultu âlios ad vincendos innituntur.

Sunt qui opulentia et fastu suos similes obruere tentant.

Sunt et nobiliores, qui virtutibus vacando, similes auxiliari conantur; beneficentiâ quidem, ignorantium instructione, infirmorum levamine, etc.

Est igitur homini naturalis quidam instinctus, et secreta vis animi; per quæ ad æmulationem impellitur.

Quoniam, ergo, non omnes eisdem ingenii animique dotibus præclari homines sunt, sequitur ut animo infirmiores ad quemdam exteriorem apparatum sese dent; et habitibus ingeniose et *fantastice* informandis incumbant.

Hæc intima luxus radix, hæc idea prima—Homines ergo varie æmulantur; et hinc luxus origo.

Hisce limitibus contentus, rationi luxus uniformatur: ratio enim supradictam æmulationem præ se fert, ex intimâ humanâ naturâ inspectâ ortam.

Quod si luxus quædam fit inrefrenabilis *passio*, ut ad impensas profundendas det operam; tunc vitii characterem sumit. Hic illud Horatii concinne cadit:

..... sunt certi denique fines,
Quos ultra citraque nequit consistere rectum.

§ III.

Quæstionis circa luxum, actuali œconomiæ statu, positio.

Non amplius hinc disputationi illæ, quæ apud antiquos œconomistas valebat, circa luxum locus erit—Hæc uti philosophemata, consumationis, impensarum et luxus, a recentioribus œconomiæ scriptoribus propositiones desumptæ statuantur.

1.° Ad promovendam industriam, novamque productionem, vetera producta consumi necesse est.

2.° Productorum consumatio ab industriæ ipsius naturâ imperatur (1).

3.° Hinc luxus, qui productorum ut dicuntur *fantasiæ* et *novitatis*, consumationem impellit, industriam hujusmodi productorum quam maxime fovet.

4.° Ergo et luxus, sub hoc productionis respectu, industriam alit; ipsæque mirum prodest.

Si vero quæstionem, sub consumationis respectu, inspiciemus, redeunt argumenta, quæ superius circa impensas edidimus: et certe juxta regulas nobis traditas cohibendus erit. Quas quidem regulas uno tantum principio submisimus, rationis nempe; quod et primum thesis postulatum nobis tradidit.

Quid ergo circa luxum concludendum; ut aliud thesis postulatum tradamus?

(1) Vid. Joann. Bapt. Say in suâ celebriori theoricâ *des débouchés*, gallice dictâ.

§ IV.

Est humanæ rationis luxum refrenare.

Humana quidem ratio! — oh præclarum creationis opus!

Homo ratione præditus, si usque eam sequeretur, numquam gressus suos falleret; numquam a recti, justi et honesti finibus dilaberetur. Hi enim sunt hominis in hac brevi terrarum orbe morâ, hi sunt gressus enumerandi. Sapientia enim ait æterna:

et gressus ejus dinumerasti.

Certequidem; *rationalitatis* vi quid justum, quid rectum, quid honestum sit, cernitur; eorumque semitas prosequendum erit.

Quid autem sibi utile et commodum sit, in quo œconomiæ *objectum* resumimus, ratio ipsa docet.

Homo igitur inter honesti atque utilis semitas progrediendo, illam mensuram suis sumptibus, quæ *normalis* est, inveniet. Et hæc mensura sibimetipsi est; quia ex animi ipsius vi ad eam inveniendam ducitur.

Ne luxus ultra reditus impellatur, quod quidem œconomice vitiosum est; ne contra mores eat, quod omnino vitiosum est; en duo præscriptæ thesis postulata; en duo responsa, quæ in uno eodemque tamen principio obstringi possunt.

DISSERTATIONIS HUJUSCE CONCLUSIO.

Sumptus, impensæ, consumatio proprie dicta, in œconomica idem sonant scientia. Quorum regu-

la , si una est, est eorum humanæ rationi conformitas et adhæsio.

Cum hanc sequentur normam sumptus , impensæ consumationesque, ad meliorem humanum civilemque cultum efficiendum prosunt.

Luxus igitur, quoad impensarum consequens est, earumdem sequitur et principium. Quod sequens haud moribus, haud industriæ profecto nocet.

Luxus quidem magna quondam erat quæstio; actuali scientiæ statu parvi momenti esse videtur. Philosophiæ moralis potius est quæstio: at œconomicæ scientiæ ne morum disciplinæ præcepta negligenda quidem sunt. Est enim inter has philosophiæ universalis, seu scientiæ *diramationes* magna et mirabilis affinitas, ut illa Ciceronis verba præstantissima huic proposito adferam.

« Est enim, sic magnus orator et philosophus,
» admirabilis quædam continuatio seriesque rerum,
» ut alia ex alia nexa, et omnes inter se aptæ
» colligatæque videantur (1) ».

Hæc quidem continuatio seriesque in pluribus scientiæ ramis, quo præsenti statu per analysim nobis præ oculis feruntur, per synthesim manifesta quoque nobis fit.

(1) Cic. *de nat. deor.* lib. 1.

Placidus de Luca

MONITUM

Item Caput *dicitur pecuniæ summa, quæ occupatur, ut usuræ inde redeant — Liv. lib. 6, cap. 35: Promulgavere leges, unam de ære alieno, ut deducto eo de capite, quod usuris pernumeratum esset, id quod superesset, triennio persolveretur.*

Jacobi Facciolati Calep. sept. lingu. V. Caput.